

CAL. et STA. (*simul*). — Quid nunc?
Quid?

FRID. — Vae! Infligi digito cultellum.

CAL. — Istud incaute properis intervenit.

STA. — Si me soccos mundare siveris...

FRID. — Te, si ultra loquaris, adeo exornatum dabo, adeo depexum, ut, dum vivas, semper mei memineris. Tu autem, pater, discas quomodo omnia sine strepitu illico a filio tuo sarciantur. (*Extrahit album sudariolum quod Calogerius inter pectorale et indusium gestat, eiusque in tegumento vulneratum digitum involvit*).

CAL. — Ehi mihi! Sudariolum ex Baptista tela!... (1)

FRID. — Aliud capias a Titio quovis alio...

CAL. — Quae haec factio est? An me pro ridiculo ac delectamento putas?

FRID. — Puto aequi bonique verba mea te facere nunquam, eademque rapere semper in peiorem partem...

CAL. — Acerbum est, pro benefactis, mali messem metere, et quidem a filio!

FRID. — Ecquam malam messem? Aliud sudariolum!... Ceterum si erravi, veniam peto... dum effati illius veritatem tibi ostendo: Citius quam formicæ paver. Eamus nunc? (*Dum haec inter se pater et Fridianus loquuti sunt, hic soccos iterum pedibus aptavit, manus lavit, linteum... in catillum demersit, peniculo... ipso sutorio vestibus pulvrem averrit*).

CAL. — Sit, cum diis benevolis. — Tu, Stasime, aedes diligenter asserva. Tene imprimis quod, me absente, neminem volo intromitti.

STA. — Securus abi, domine mi. Fores ambobus pessulis occludam.

(1) *Baptistina* vulgo appellatur tela subtilissimis filamentis consuta.

FRID. — Nae, graphicum habemus servum, et quantivis pretii!

CAL. — Neutquam haec, Stasime; sed tantum clavem obducas. Immo abducas; nos enim ad multam noctem revertemur, nostramque clavem habemus, qua ingredi liceat.

STA. — Fiet. Bene interim vobis!

FRID. — Fiet etiam, nisi in suo quidque loco erit, quum nos revertamur, ut te monumentis commonefaciam bubulis.

STA. — Aedepol, herule mi, quod principium incipiam ad animum tuum mihi conciliandum, profecto nescio! Meus ne tibi ipse conspectus est invisus?

FRID. — Rem acu tetigisti!

CAL. — Ne credideris, Stasime; sibi enim hisce dictis moram creat.

STA. — Atque tamen hisce dictis me conficit!

FRID. — Accede huc, oculissime, ut tibi caput demulceam!

CAL. (*Fridiano*). — Beaveris, si me in pilentum praecesseris.

FRID. — Ne tamen ut exspectando gliscat rabies, cave.

CAL. — Obligavero crus Aesculapio, Apollini brachium, si hoc incendium compescere valueris!... (*Fridianus exit; Calogerius sequuturus est, sed prope ostium it redditque ad Stasimum, alia de re domestica commendans*). Fac ut offendamus parata omnia, si quum rediverimus obsonii quidquam nobis occurrat... Salsamentum aliquod macerare poteris et apparare, sed multa aqua... Aedes niteant, precor... Et si tibi ab hisce rebus aliquid otii superfuerit, argentum eluito, idem extruit.

STA. — Effectum dabo. Sarta enim tecta tua praecepta usque habui.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

DE SINENSIO FORTUNA AUSPICE CHRISTO

Quum nostrum hoc saeculum oriretur, duos maxime eventus cursum eius a spicari vidimus, adeptum scilicet per velivola, aëreasve naves, aëris dominium, ultimorumque Sinensium ingressus in communem humanitatem. Quae res — aut ego fallor — quamvis longe dissitae videantur, non tamen eas sine conne xione evenisse teneo. Illa namque sedatio novissima, quae Pugilum cladibus orta est, dum emensem tot saecula imperium evertit, non tantum in fines eius, antiquitus in violatos, popularium regiminis morem inauditum invexit, quam potius nostris maxime legibus atque sensibus imbuit gentem toto caelo seiunctam, quae hue usque mordicus alienae humanitati restiterat. At simul susceptus tandem aëris dominatus faciliter vaticinio spondebat properare maxime diem, qua sacri hactenus omnium gentium fines uno eodemque fato abolererentur, patentibus nempe caeli viis, quas vallo aut fovea nemo unquam prohibebit. Quod sane vaticinium Victorem Hugonem poetam tradunt effatum, quum olim Lutetiae caelum concendere Montisgolferii chartaceum illum globum adspexit, ratum praesto esse vehiculum,

quod populos omnes uno eodemque tramite copularet.

Sed, ut ad Sinenses redeamus, libertas illa, quae popularium ditionis initia sequuta est, Christicolis quoque, iam a quinto saeculo post Christum natum imperii fines ingressis, ius suae religionis palam profitenda necessario restituit, quod illi crebris persecutionibus ademptum luxerant passim.

Illud immo contigit tandem inauditum, ipsos publicae rei consules adstituisse sacris, quae catholicorum principi templo auspicando Pekini in urbe solemnri ritu peragerentur. Quam quidem diem rati sunt omnes illuxisse faustissimam sacris annalibus progredientis per terram regni Iesu. Non enim iugis victoriae par celebratio per eos populos redierat amplius post ortum saeculi XIV. Tum vero similes feriae praemio fuerant facinori maximo, quod Sodalis quidam Minorita, patria Picenus, expleverat. Ioannes ei nomen, natale oppidum Corvinus Mons: Evangelii dilatandi tanto studio ille fuerat nativa terra depulsus ut, Francisci Patris veste induitus, non dubitaverit italias oras linquere, exque iis in Syros, e Syris in Indos, ex Indis denique ad ultimos migrare Seres, coramque ipso rege, in ipsa urbe imperii capite praedicare Christum, et Hunc

erucifixum. «Ego — haec ille de se missis Romam litteris testabatur — perveni in Katag regnum imperatoris Tartarorum qui dicitur magnus Cham: ipsum vero cum litteris Domini Papae ad fidem Domini Nostri Iesu Christi catholicam invitavi» (1). Noluit sane rex ille Tartarus tantae invitationi parere; sivit tamen ipsas prope regias aedes templum dicari Christo, turrimque erigi sacris aeribus munitam, quae Minorita ille Apostolus pulsabat passim, ut idem tradit: «Campanas ad omnes horas pulso, et cum concentu infantium et lactentium divinum officium facio... et dominus imperator delectatur multum in cantu eorum» (2). Novi Episcopatus Pekinensis haec amussim, oriente saeculo XIV, gloria initia fuere.

Quas deinde vicissitudines, proelia, clades Romana Ecclesia per Sinensium fines pertulerit, idque maxime post deductas illuc saeculo XVI Europaeorum colonias, nemo est qui ignoret. Quae immo tot ac tanta fuerunt, ut non sine iusta causa arbitremur oriente hoc saeculo illos, quos vidimus, Christi regno illuxisse triumphos, ex illo semine, miro Dei beneficio feliciter conservato, promanasse, quod Iohannes ille a Corvino Monte sex ante saecula incredibili fere ausu posuerat. Rediisse enim nec opinato videntur antiqui dies, quibus Tartarorum ille rex Latinis sacris a Franciscano sodali celebratis spectator libens adstabat (3).

Non quidem me latet flavi — quod dicitur — cruenti discriminis per nostra littora terrores et minas vulgari. At si faveat Christus, conditor humanitatis nostrae primus, si libertas faveat recens

(1) M. DA CIVEZZA: *Storia delle Missioni Francescane*, Vol. III, pag. 120, n. 4.

(2) Op. cit., pag. 131, n. 2 et 3.

(3) Ibid.

indulta Sinensibus, quam nempe Ille suo sanguine emit, qua nos nimirum suo supplicio Ipse liberavit, si faveant velivola, uno fere tempore nata, quae Sinensium commercia cum nostris undique multiplicabunt, nunquam crediderim humanitatem hanc nostram, et leges et artes, et cultum et immortalia trophya, templa vero maxime et aras Christi nomini sacra flava barbarorum colluvie unquam fore ut evertantur in posterum amplius. Quinimo, ex quo illi tandem sacrae libertatis prima iura sanctaeque caritatis leges primas sunt amplexati, servire eos Christo tandem aliquando necesse erit, qui eiusdem humanitatis unus conditor et auctor est. Non enim licet nostrarum gentium vestes aut arma, aut machinaria portenta, maxime vero litteras suscipere aut artes, quin aliqua sensim christiana vitae species induatur, quae paullatim, adiuvante gratia superna, hominum intimo corde, abdita que mente potietur.

Non infitior sane remotissima adhuc me fata loqui; at nihilominus indubia ea teneo et tutissima fide, quippe ea doctrina sim institutus, qua Iesus docuit fraterno amore invicem homines vivere et sancta libertate, ita plane, ut quocumque viderim eiusdem crepuscula erumpere, divinae iustitiae solem eodem cito credam exoriturum. Illius inquam iustitiae, cui Iesus se dedit hostiam in cruce pro nobis, ideo tamen ut e terra elatus «omnia traheret ad seipsum».

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

Fortuna saevo tacta negotio
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alvis benigna.

HORAT., Od. III, 23.

De Bartolo a Saxoferrato

IURISCONSULTORUM
IN SAECULO XIV FACILE PRINCIPE (1)

Quamvis I. V. Gravina Bartolum cum Sulpicio, insigni iurisconsulto, compa-raverit, attamen haud nobis cum ipso Gravina idem omnino sentire posse censemus, sed potius, ut postea videbimus, congruum adfirmare Bartolum dialectica arte haud abusum, sed sobrie et frugaliter usum, immo rationem quae infructuosa prorsus et inepta apud ceteros visa est, ab eo magna cum prudentia usurpatam; quippe qui ex ea tantum ordinem, partitionem atque perspicuitatem, definiendique rationem et ex notis ignota colligendi ad iurisprudentiam traduxerit.

Cuius rei laus a praedicto Savigny quoque tribuitur, qui illum dialecticam artem in iurisprudentiam immisisse negat, sed vel inepte vel immodice ipsam haud adhibuisse palam testatur (2).

Profecto, si Bartoli asseclae in hac quidem re summum magistrum suum imitati essent, multo minus inter legistas atque humaniorum litterarum cultores saevum illud atque indecorum bellum exarsisset quod adhuc litterariam saeculi XIV historiam legentibus stomachum movet.

Etenim propter abusum dialectices ita inventi sunt omnes, ut quae ars dicendi esset, illa sermoni tantum obduendo sufficere videretur (3). Ast vero, nonne dialectica scientia est quasi veri et falsi disceptatrix et iudex? Sed Saxoferrensi iurisconsulto in decimo quarto saeculo id paene evenit quod,

(1) Cfr. an. I, fasc. VIII, pag. 144 et seqq.

(2) Savigny, loc. cit., cap. LIII.

(3) CICERO, *Tuscul. Disput.*, cap. V, 25.

propter aliam nimirum causam, Are-tino vati. Dum enim Petrarchistae, seu Petrarchae sectatores, inanibus, innumeris amatoris cantiunculis suis immortale eius nomen obumbrare aliquando visi sunt, haud secus Bartolistae, seu Bartoli vestigiis instantes, illius famae haud leve detrimentum attulerunt, ridiculis interdum commentis atque notis iustinianum ius illustrantes, verborum etymologiam magis quaerentes quam iuris sensum, qui ex Digestorum qualibet parte tamquam ex purissimo fonte manat.

Nonne valde errant qui iisdem vitiis, in quae discipuli inciderunt, magistros etiam incusant? Quisnam splendida Pe-trarchae carmina haud mirabitur? Vel quis maximam iuris scientiam in Bartolo infitari sit ausus?

Sed, ut illuc unde excessimus rever-tamur, hic modo reposcere iuvat, quam laudem amico suo Sulpicio M. Tullius tribuit, illam eamdem procul dubio Bartolo esse concedendam. Aeque potius adfirmare libet Gravinam, resipientem proinde, a via veritatis non discedere, sed illam rursus amplecti (4), quum alibi affirmet, Ciceronis verba referens, scilicet quum Quinto Scaevolae haud praestare Sulpicius sibi videretur: «Nisi eam didicisset artem quae docet rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explolare interpretando, ambigua primum videre, denique distinguere, postremo habere regulam qua vera et falsa indi-carentur et quae, quibus positis, essent, quaeque non possent, consequentia» (5).

**

Quoniam Bartolum a Saxoferrato uti iurisconsultorum facile principem effi-

(4) GRAVINA, loc. cit., cap. LIII.

(5) CICERO, *Brutus*, 41.

gere hucusque studuimus, nonnulla modo ad eius effigiem, mores, virtutem spectantia enarrare oportet, ut in venerationem tanti viri adducamus, qui « Speculum et lucerna iuris, Commentator, Oraculum Apollinis, Robur veritatis, Auriifer optimus, Dux universorum, Pater ac Magister humani iuris, Divini ingenii vir » est appellatus.

Statura itaque fuit Bartolus minus quam mediocri; nam quum e veteri in novam sepulturam ossa eius transferrentur, haec valde brevia fuisse compertum est. Caput habuit magnum, occipitio quasi in longitudinem exorrecto; verum oculos veluti fixos et speculationi diu intentos et in eumdem locum ad formam cuiusdam cogitabundi directos. Adeo frugi fuit, ut ederet ac biberet ad pondus, quo ingenii aequabilitatem suaequis mentis ad studia firmitatem servaret; adeo integer vitae scelerisque purus, ut honestis tantum artibus lucrum quaerens, haud magnas sibi facultates compararit; adeo discendi cupiditate captus, ut alta mente repostum atque in ore semper haberet omnia sciri expeditire, nec bonum esse sarcinatorem qui clavos facere nesciret (1).

Revera, praeter iurisprudentiam, hebraicis etiam litteris operam dedit (2), non quod iuri perdiscendo vel dicendo lumen ex illis accipere posset, sed quum sacrorum librorum studiosissimus esset, ut ad divinorum tractationem et ad religionis dogmata spectantia (3) scite adduceretur.

In geometria quidem versatus fuit, Bartolo ipsomet locupletissimo teste in

(1) *Panzirolus*, loc. cit., Lib. II, § LXVII.

(2) «..... Quaestionem, quae fuit inter iudeos et me, dum hebraicum addissem ». — BARTOLUS, *Tractatus de Insigniis et armis*.

(3) LANCELOTTUS IO PAU.: *Vita Bartoli*, Perusiae, 1567, pag. 60.

prooemio celebris sui tractatus qui *Tiberiadis* inscribitur. Haec autem omnia eo magis argumento roborantur quod ex quinquaginta quinque voluminibus, quibus Bartoli bibliotheca constabat, vi- ginti ad theologiam pertinebant, quaeque suo mandato, post obitum eius, ad montem Morcinum, prope Perusiam, in coenobium monachorum Montis Oliveti exportata sunt, atque ibi tamdiu custo- dita, donec improbus monachus inventus fuerit, qui illa clam subtraxerit et secum Neapolim, unde erat ei origo, transtulerit, vel, ut Lancellotus censem, perdiderit.

Quantus autem in philosophia fuerit Bartolus, cuncta opera eius satis ostendunt, ac praesertim tractatus ille *De testibus*, in quo ipse, iuxta Baldi verba « ea litteris mandavit quae non possunt intelligi nisi per summos viros qui cognoscunt genus et differentias.... ». Hoc autem in Bartoli ingenio non modo sublimi, verum etiam firmo ac constanti obsignandum est quod nunquam sibi contrarius repertus sit. Quis enim, in difficulti, ingentique legum silva, a sententia, cui aliquando adhaesit, haud descivit?

Vere ille laudandus; fecit enim mirabilia in vita sua, cuius nomen raro aestate nostra quidem inveniri potest!

Nam et Baldum praestantissimum iuri-consultum, sed saepe saepius in diversas sententias abiisse novimus; sed fertilitati mentis potius id tribuendum dixerint, quasi novas ingenii excelsitas opiniones Baldo sufficeret quoties rem aliquam disputandam suscepit. Num ideo Bartolum foecunditate ingenii de-stitutum dicemus? Absit. Paria enim ei in inveniendo perspicuitatem et in seligendo iudicium naturam ei suppedi- tasse, ut supra animadvertismus, ex eius scriptis patet; immo haec potissimum ratione Bartolum monarcham iuris iuste appellatum remur.

Controversiae, quae nonnunquam inter Bartolum et Baldum propter utriusque ingenii diversitatem exortae sunt, plerisque eruditis materiam praebuerunt ut utrumque diversimode iudicarent atque utrumque sibi invicem adversantem arbitrarentur. Qui quantum erraverint, frustra evincere conor. Nam etsi Bartolus et Baldus acriter disputaverint, immo horarum quinque spatio, benevolentia tamen sese invicem prosecutos, satis ex huius scriptis liquet. Baldi enim verba undique maximam erga magistrum suum venerationem redolent, in cuius laudem ultra quam legistis expediat ea litteris mandavit, quae intelligi nequeunt nisi per summos viros; ipsum enim ita inge- nio suo contulisse asserit ut, discendi studio, raro se ab eo separaret (1).

Quomodo igitur Baldus illi perpetuo esse adversarius potuit a quo, discendi studio, sese infrequenter disiunxerit? Contra autem, quanti Baldum Bartolus fecerit per id patet quod hic, si hora profitendi advenisset, illo non praesente, magna parte vacuum auditorium suum diceret, quamquam discipulorum numero redundaret; quod, imitatione Platonis, de Aristotele dictum traditur.

* *

Iamvero, hoc parvulum scriptum nostrum solventes, ei finem facere non valemus quin hoc unum dicamus; scilicet inscriptiones, titulos, monumenta quaeque tanto viro erecta, simplex hoc epitaphium: « *Bartolus* » complecti, quo nullum immortali eius nomine dignius excogitari poterat. Humi tantum centum annos strata eius sepultura extitit; quum autem, ut ait Lancelottus (2), Alphana familia (hoc est enim librorum Bartoli gentilitium nomen) tanto

(1) BALDUS, in II lib. Feudorum. Cap. *Vassalus*, 26.

viro decentem magis sepulturam et in sublime egregia structura erigendam, effigiemque ipsius Bartoli in summo cacumine collocandam curavit, facere non potuit quin illam repetiverit veterem inscriptionem: « *Bartoli ossa* ». Scilicet, tanto nomini nullum par elogium.

ANTONIUS ADV. MARTINI.

Q. Horatii Flacci epistola ad Augustum.⁽³⁾

Tu autem, exultans atque laetitia gestiens — exclamat Horatius, — Tu, clarissime Augste, tuto animo vivere poteris, namque hominum invidiam supergressus, iam tibi nihil erit ultra timescendum! Quis enim tecum de gloria contendet? Quis de meritis? Omnes se se facile inferiores fatentur tuasque virtutes in aeternum cantabunt. Namque hac in re graecis illis sapientiorem iam nunc ulti agnoscimus, praeclaras tuas virtutes, teque dum inter nos versaris honoramus.

Iuvabit quoque aliquantis per notare qua arte noster atque poetica vi perpetuas in Caesarem laudes hoc loco profundat.

Artes praegravat, id est opprimit artifices qui se fatentur ipso inferiores.

Urit fulgore — Nos Itali optime diceremus: *Li fa bruciare d'invidia con la sua eccellenza*.

Augustus honores retulit maturos... ut qui ad securam famae immortalitatem post funus evectus, minime timet ne quis eum supereret, aut male mulctetur. Quod hic de Augusto dicitur gene-

(2) LANCELOTTUS, loc. cit.

(3) Cfr. fascic. mens. Decembr. MCXIV.

ratim, ampliori sensu de universo hominum clarorum genere dicas. Quam saepe patrem illustriorem ac bene de patria ob clara gesta meritum, filius nequior excipit, cuius famam ac nomen deturpat. Quid dicendum de Napoleone, quid de aliis, qui post gloriosissimam vitam finem turpissimum habuerunt?

Ad rem Epaminondae exemplum. Quum reprehenderetur quod uxorem non duxisset, a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret: «Vide, inquit, ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque vero stirps potest mihi deesse: namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est».

Opportune apud Aligherium nostrum legimus de patre qui maxime gauderet, quod ultimus stirpis suae, omnis atavorum gloria in tuto esset!

Scribit enim:

*O Ugolin de' Fantoli, sicuro
È il nome tuo, da che più non s'aspetta
Chi far lo possa tralagnando oscuro.*

Uno verbo, — ait Horatius, — virtus illa optima est atque firma, quae morti resistit, et Augustus adhuc vivus immortalitati suae interest.

Erat autem tam fortis Romanorum admiratio in Augustum, ut ei tamquam divo iam thura adularent, templa aedificarent, et per ipsum, id est eius auxilium deprecatur, omnes iurarent confidentissime. Ita enim intelligenda sunt illa verba *Iurandasque* etc. Id est *ponimus aras, per quas iuraturi sumus*. Ratio dicendi in primis apta apud Romanos, quae nobis desideratur. Diceremus: *Erigeremo altari, e per essi giureremo col tuo nome.*

Nomen autem leges et non numen ut pluribus placet; nisi velimus late hoc

vocabulum sumere. Hinc Claudianus:

.... *Iuratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alemania nomen!*

Ut ad Augustum redeam, haec breviter adiungam. Ipse Vergilius, dum totus est in laudibus Augusto decernendis, ut ei suum gratum animum pro munieribus acceptis promat, conceptissimis verbis dicit: *Deus nobis haec otia fecit*. Augustus vero, suis ipsis adulatoribus prudentior, in uno tamen amore populi Romani defixus, eiusque felicitatem et gloriam in omnibus quaeritans, optime se fraenabat, ne plus aequo sua facinora nisi mortalia crederet, hominemque se reputabat, atque adeo omnibus humannis casibus obnoxium.

Horatius etsi non Urbis civis, romana caritate aestuans, nil grande in terris praeter Caesarem suamque Romanam respiciebat, et in *Carmine Seculari* eidem Romae est auspiciatus:

*Alme sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris: possis nihil Urbe Roma
Visere maius!*

Urbs enim apud Romanos idem erat ac Roma, omnium Romanorum domus, et ipsa tantummodo prae cunctis imperii civitatibus, hoc nomine adpellabatur. Et solempne erat et sacrum, ut ita dicam, vocari et esse *Civem Romanum*. Et saeculis labentibus quum

*Acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternalae necis,*

et quando sedes imperii est Byzantium translata, Roma Urbs sacra remansit, eura semper et arcanum Italorum desiderium. Et nos iuvat hic semel fateri, Italos semper hanc gloriosam memoriam retinuisse, et se tamquam Romani imperii haeredes, prae ceteris populis aestimasse, et communem respicientes ori-

ginem, Romanos se se esse praedicabant, quamvis Romanorum virtutem ac fortitudinem nihil prorsus aemulari et persequi nitebantur. Hinc immensa damna, hinc quoque apud gentes ludibria, quae nos *mortalium terram* in derisum vulgo adpellitabant; hinc longa Italorum ignavia atque indecora sub alieno dominatu servitus; uti passim Italicae recentioris historia narrat.

Et memoria nostra, quidnam magis erat in votis, quam omnibus circa populis praedicare, vel pueros Italiae restinctos tantae Romanae virtutis igniculos restituere, et praecellarum maioribus et patriae lumen polliceri?...

Sed gloria cum nomine veterum Romanorum omnino transiit, nec unquam redibit. Roma tamen, Omnipotentis Dei consilio atque immensa ipsius in Italos benevolentia, nova iam virtute resplendens, non armis, non imperio, sed unice religione suffulta, omnibus dat facile divina iura populis, qui volentes sanctum Eius iugum ac gloriosum amplexuntur. Ac propterea si nos Romanorum excellentiam consequi volumus, si eorum in regundis gentibus amplitudinem atque elegantiam adipisci, virtutis viam grassemur, oportet, in studiis atque in recti sanctique proposito insistentes, cum ceteris orbis terrarum nationibus non equidem de nominis principatu, sed de sapientia, animi sanctitate, industria, morumque integritate contendamus.

Hactenus de laudibus Augusti; nunc poeta, tamquam morum studiorumque magister, de Romanis disserit, qui, si recte se gerunt in laudando Caesare omnimode, aberrant toto coelo quum poetas volunt prae ceteris et unice veteres honorare. Ait enim:

*Sed tuus hic populus, sapiens et iustus in uno,
Te nostris ducibus, te Grais anteferendo,
Cetera nequaquam simili ratione modoque*

*Aestimat et, nisi quae terris emota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit.*

*Sed tuus hic populus... Falso aequales
suos iudicat, namque non adeo virtutum
sterile hoc saeculum fuit, ut non et bona
exempla prodiderit. Nam multos haec
quoque nostra aetas tulit qui cum anti-
quis contendere possunt...*

*In uno... Romani scilicet in hac una
re, quae omnis est in te anteferendo
nostris ducibus, acerrimi ingenii iustique
se ostendunt. Vae populo, ubi multi praed-
dicantur strenui copiarum ductores, ubi,
ut mutuer gravissimam Italici vatis sen-
tentiam:*

.... *un Marcel diventa
Ogni villan che parteggiando viene!
(Ad proximum numerum).*

I. B. FRANCESIA.

De aviatione ⁽¹⁾

Ita sunt *monoplani*, *biplani* et *multiplani*, ut olim apud veteres in mari erant naves biremes, et triremes, ex numero remigantium, si unus, vel duplex, vel triplex est planorum ordo.

Si vero paullo ante inventum hoc otiosum esse videbatur ac voluptuosum, quo beatiores saeculi tantummodo recrearentur, atque propterea unice ad oblectamentum; nunc ad damnum adhibetur, atque ad horrendum in bellis exterminium.

Primum, quod sciām, Itali in bello quod nuper digesserunt cum Turcis in Libya, hoc fatali instrumento usi sunt, et plures rei novitate deterritis hostibus, mirabilem exitum obtinuerunt. Il-

(1) Cfr. num. sup.

line enim veluti ex tutissimo templo, hostium acies perlustrabant, eorumque ordines atque numerum, et saepe, dum occasio iis propitia se se offerebat, pilis incendiariis demisis hostium animos terrificabant, qui alii alio elapsi, fugam moliebantur. Quod egregie factum est

LUDICRA

Cuneensis sapientia.

Concrescit, cives, referens horresco, malorum Congeries: quales quoque die interitus!
Cuinam ignota manet tam dirae cladis origo?
Annon quae igne potens machina plausta trahit?
O semper leviora satis gens passa pericla,
Donec iter fecit mulo asinoque suo! —
Haec queritur Cunei qui civica iura tuetur,
Fatus ubi proceres undique adesse iubet.
Turba silet, fortasse omnes rudiore minerva.
Ergo prosequitur lege ibi prima tenens:
Scire cupido est quae sit nunc sententia nobis?
Quae loquar arrestis auribus accipite.
Quae secum rapit antevolans vis, plausta videmus
Nunc illisa retro, nunc propere in faciem.
Ergo mali labes quum sint extrema, deinceps
Utraque ferratae plausa adimenda viae.

F. T. MOLTEDO.

Neapoli.

primum ab Italibz in bello Tripolitano, in immensum crevit in bello quod paulo post exarsit — et heu! perdurat adhuc — inter Germaniam et Austriam adversus Belgas, Gallos, Anglos atque Russos simul confoederatos.

« Quid non mortalia pectora cogit » insanus bellicus furor ?

Germani, qui infensissimis animis Lutetiam Parisiorum petere studebant, mi-

rum in modum, per opus singulare celeberrimi Zeppelin, clarissimi viri, hostes vel ex aere haud parum vexaverunt. Zeppelini enim admirabili invento, quod nomen auctoris refert, novo modo aeronavis haec se tollit, et remotissimas regiones ex improviso molestat, cruciat atque obtruncat. Nunc fertur ad ipsam Anglorum urbem caput incendendam tendere..., atque adeo omnes terrificari oculisque per aërem naves quaerere, ut possint illinc hostes repulsare...

Aviatores diversis nonibus atque formis, ex nomine potissimum eorum auctorum in ruinam hostium atque formidinem in altum se se extollunt, et impetu velocissimo vel inter nubila se condunt, atque illinc tunc super acies, tunc super civitates munitissimas ignescentes globos rapidissime immitunt. Quot mala uno eodemque tempore vel inter copiarum ordines, vel in ipsis urbibus !

Sed aliud grave teterimumque periculum adest! Saepe enim qui aéroplanum ut navim concendunt ad certum vitae suaे discrimen se obiiciunt. Et sunt qui hosce strenuos impavidosque milites cum validissimo quoque componendos esse autumant. Quid! Quod! Et cum ipso Petro Micca, qui olim prodigus animae suaे periculo se obiectavit certissimae mortis ut hostes repelleret, qui Augustam Taurinorum obsiderent.

Namque, saepe saepius legimus avia-

torem, exempli gratia, Gallicum cum Germanico fortiter in aere decertasse, qui pluries longe ignivomis pilis percussus, humi miserrime disceptus proculbuit. Quid erit in crastinum, si aviatorum ars tam prospere exoriatur? Nec naves igitur in posterum ad bellandum inservient, nec bellica tormenta, neque munitissimae arces, sed unice fortasse aéroplani, sint ipsi *dirigibles*, ut aiunt, vel non. Quod enim nuperius subridentes de Astulpho legebamus, qui ex festivo Ariosti ingenio ac fuscissimo, super gryphe fabuloso adsidens, admirantibus gentibus, contra adversarios pugnans facilem de illis victoriam referebat, nunc ratione longissime validiore ac tutissima, non unus, sed centum undique ita debellare possunt. Quid tibi videtur?

Carolus Botta, qui patrum nostrorum memoria, italicam historiam maiestate liviana exaravit, ob tot ac tanta mortis instrumenta quae ab hominibus suae aetatis ad suorum adversariorum internectionem erant inventa, exteritus exclamavit: « Humanæ ferocia ad ultimum apicis acumen hoc nostro saeculo pervenit! »

Quid ipse diceret, si omne praesertim ballistarum ignivomarum genus adspiceret, si *silura*, quae nominant, contra naves immissa?

Haud possum huic epistolae finem imponere per vulgatissimis illis Ciceronianis verbis: « His utere mecum et vale! »

Dicam potius cum poeta parce unum verbum in rem meam detorquens: « Di, seu Superi, melius quam nos moneamus talia *quemque!* » Faxit Deus, ut nos ipsi operibus sanctis, quae nobis sint, ut ceteris per aërem volitantibus, tamquam aéroplani, aliquando

LUDICRA

Villicus in via ferrea.

Serus adit clathros, data tessera ubi aere soluto
Transit, ut ignipotens machina praestet iter,

Villicus impatiens redditus; sed ferrea strata,
Nondum pressa rotis mole abeunte, silent.

Ergo doctus iter brevius, per septa, per agros
Transgressus, graditur longius ante rotas.

Eminus inspiciens iterumque iterumque profundit
Sibila, qui cursum dirigit ante focum.

Anceps haeret adhuc; tandem ne immite trucidet
Insanum, frenat, qua datur arte, rotas :

Num vis, inclamans, h̄c subter, inepte, manere?
In rheda, alter ait. Dixit et insiluit.

F. T. MOLTEDO.

Neapoli.

adipiscamur

Omnes caelicolas, omnes supera alta tenentes.

Vale.


SUBALPINUS.

.... Similes aliorum respice casus;
Mitius ista feres.

OVID., Metamorph., l. u., fab. XLIV.

**Romanus equorum cursus
Bacchanalium tempore.**

Quae Dionysia olim et Bacchanalia, nunc *Carnevale* apud Italos, aut nomine ex eadem origine deducto apud ceteros sermones, vocari solent. Quorum verborum radix inde vulgo repetitur, ex *carne* et *vale*, quasi per imminens ieunii



ROMANUS EQUORUM CURSUS BACCHANALIUM TEMPORE. — CARCER.

tempus, scilicet quadragesimae, carni suprema tum conculmentur. Iстis diebus non solum personam induere ceterisque ludificari consuevit, sed passim ludos publice indicere; quos inter, Romani nos liberorum equorum (*barbarorum* imo vocabantur) cursus usque ad finem superioris saeculi XIX adnumeravimus.

Nunc huiusmodi oblectamenti memoria, ut aliorum plurium, unice restat; non ingratum igitur fore censuimus si eam in nostras paginas revocaremus, sive illius equorum cursus initium et

finem oculis subiicientes ex antiquis tabulis aere cusis, sive descriptionem reportantes, in quam occurrimus, quem I. B. Ferrarii, qui ineunte saeculo XVII vixit, *Collocutiones* pervolutaremus.

Scribit igitur clarus ille latinae linguae cultor in suo *I Colloquio*:


« Post carceres suum quisque equiso bene curatum et panis nonnulla offa

bris hinnitibus, omnibusque ungulis moram increpantes in cursum praegestiunt. Denique is qui laxando repagulo praesidet, audito vix tubae signo, levato manubrio uncum deprimit, unde funis exclusus, praegravante oppositi saxi pondere, momento cadit. Tum equina cohors volucri fuga ex oculis evanescit. Tum non unus alato tergo, sed plures

dixi; grandiloquo Statii carmine citius velocitatem assequar:

*Quae tandem carbasa ponto?
Quae bello sic tela volant?
Quae nubila caelo?
Annibus hibernis minor est, minor impetus igni.
Tardius e summo decurrunt flumina monte,
Tardius astra cadunt, glomerantur tardius [imbres.*

Itaque ipsa velocitatis voluptas ingrata est, quia momento transit. Victor



ROMANUS EQUORUM CURSUS BACCHANALIUM TEMPORE. — META.

valido vino insuccata affatim refectum in equum imponit aut sessorem cum flagello puerum, aut lignaeas pilas indito plumbo praegraves, ferreis undique stimulis aculeatas, et funiculis utrinque dependulas, qui crassiori telae, pice dorso agglutinatae insuti sunt, ut crebro incident verbere currentem.

Sic leviter instructi, et frontem charactere de more stellati, nec non loca ordine sortiti, post funis repagulum equi sistuntur. Quamquam illi sagina et indole alacres stare loco nesciunt, et cre-

implumibus volatiles pedibus Pegasi sic properant, ut illis idem sit carcer et meta (1); idem pergere et pervenire; ac prae ipsis claudicet, quamvis perniciissima, tamen e longinquuo oculorum acies et animorum. Crederes ventos et fulmina catadromum decurrere; parum

equus, quamquam inter acclamantium hominum interque adstrepentium tubarum plausus palmam refert auri textilis, argentea tela subsuta pretiose bicoloris; suae tamen gloriae ignarus et rudis equino vilis paleae ac neglectae frugis epulo donatur». X.

(1) A carcere, qui erat in platea a «Populo» nuncupata, ad metam, quae ad extremam plateam «Venetiarum» posita, ex hoc ludo a «receptione barbarorum» appellabatur

(nunc eversa est), per «Cursus» viam adhuc integre exstantem, mille et ultra passus intercedebant. — X.

Varia latinitas

MAXIMIANUS, I 17-18:

*Nec minor his aderat sublimis gratia formae,
Quae vel si desit, cetera multa placent.*

Ita AFLR; desint BGPS; desunt M; membra V; muta Barth; nulla Petschenig; cuncta Baehrens; placet ed. vet.

Scribit Clark (1) non sine acumine et perspicuitate ad fidem faciendam apta: «si legerimus ita pentametrum: *quae vel si desit, cetera multa placent*, parum honoris atque laudis tribuemus illi *gratiae formae*»; qua re proponit in locum «*multa*», *nuda* substituendum, ita legens:

quae, vel si desint cetera, nuda placet, auctoritate Petronii impulsus (*Anth. Lat.*, 479, 6): *gratia nuda placet*, et Ps. Quint. decl. ccclxxviii p. 439, 25; ccxlviii pag. 94, 10 (ed. Ritter).

Quod Clark proponit, valde mihi probatur, nec ego illi dubito astipulari, eo magis quod alia possum afferre argumenta quae idem luculentius testentur. *Nudus* enim epitheton magno fuit in usu apud scriptores latinos, nec solum sua propria vi, sed etiam metaphorice intellectum; quod facile videbis, si parum *Thesaurum* volvas. Notatu dignum est quod *nudus* epitheton pertinet congruitque et in corporis et animi conditionem: *nudus* enim dicitur non solum qui est omni veste exutus, idcirco in miseria versatur, vel *omni* quolibet ornamento caret, idcirco simplex est aut inermis; sed etiam metaleptice in virtutem quadrat, in cogitationes, in indolem ingenii et similia, quae omnia sua propria luce fulgent, quaeque mirum in modum excellentes homines ornant. Se-

quitur ut quod Clark auctori Elegiae *Nux* unice tribuit — *nudus* is a favorite word with the author — scriptores omnes latinos fere complectatur.

Si enim invenimus apud Petronium (*Satyr.*, 88): *Priscis temporibus cum adhuc nuda virtus placeret*, quid est illud *nuda virtus*, nisi virtus ipsa, cum nullo alio bono, scilicet divitiis, honoribus etc. coniuncta? Et in loco de quo agitur, nonne quadrat optime in sententiam primi versus *nuda placet* alterius? *Sublimis gratia formae*, idest aspectus venustas habitusque elegantia, etiamsi omnia alia ornamenta desint, sola ipsa sufficit ad nostros sensus implendos. Neque hic sermo est de pulchritudine quae in nuda forma se praebet; sed illam spectat venustatem interiorem, scilicet animi, quae etiamsi a venustate corporis suae vis et rationis originem ducat, magis alloquitur cor quam sensus, et personam, ornatam ea, fere per imaginem reddit. Sic ego intellego *nuda* hoc loco, motus eodem verbo *placet*, quod apud Petronium et Maximianum recurrit. Ceterum, in hemistichio *quae vel si desint cetera* nonne videmus fere nostram sententiam confirmatam? Si desint cetera necesse poëticum illud *nuda*, ni fallor, exposcit. Nisi quod hoc dici potest, inter sententiam Maximiani atque Petronii, a Clarkio allatam, illud interesse quod, cum Maximianus deferat palmam tantum corporis venustati, Petronius contra censeat cultum atque humanitatem longe pulchritudini praestare (2). Diverse enim uterque poëta commovet: alter formam exteriorem diligit; alter animi praefert, quae vero non est naturae donum, sed bene viribus interioribus exercendis acquiritur.

MARCUS GALDI.

est, gratia nuda gerit, potius quam: Et nisi velle subest..., quamvis vero sensus sit idem.

(1) *The Classical Review*, 27, 1913 pag. 260 et seq.

(2) Lego cum Müllero: *Et nisi cultus ad-*

ARCHAEOLOGICAE RES

DOMUS AUREA NERONIS
NOVAEQUE IN EA EFFOSIONES.

Communis erat opinio, et multis argumentis nitebatur, inter clarissimos viros qui, omnibus temporibus, res Urbis antiquas amore prosequerentur, in colle Esquilino, ubi domus illa Neroniana fuerat, quae ob pulchritudinem atque ob ornamentorum divitias, *aurea* cognomento honestabatur, immensum adesse antiquitatum numerum atque opulentiam. Omnibus enim constat quid imperator Nero, monstrum hoc hominis audax atque impotens, facere cogitasset, postquam urbem incendio devastaverat. Doctissimos undique viros, quum omne ipse artificum genus yellet exercere, maximis propositis praemiis ornamentisque ad operandum invitavit. Horum ingenii ac praeclari artificii complura exstant adhuc monumenta, quae identidem ex ruderibus excavantur. Iuvat in primis in mentem revocare qua Romanorum laetitia omniumque admiratione, anno quadringentesimo atque octogesimo octavo supra millesimum, effossa fuit immortalis Laocoontis statua cum filiis, quae nunc in Vaticanis aedibus asservata, magno semper hominum concursu invisit atque laudatur.

Post hunc mirum fortunatumque evenitum, plures labentibus annis doctores nostri ad illas aedium ruinas cupidius libereque adire cooperunt, et multa in dies passim monumenta invenere, quae amoris honorisque gratia, ad aliquod urbis templum exornandum mittebantur. Quapropter anno quingentesimo et quinquagesimo cum millesimo, uno eodemque tempore complures effossae sunt statuae, tabulae pictae, fontanae, albaria, multaque alia id genus complura, quae dum Romanorum superbiam ex-

tollebant, magis atque magis acuebant studia ingeniorum.

Ad haec invisenda omnes, qui tunc Romae ingenii viri florerent, admirantes adibant, et ipse Michaël Bonarrotius egregia veterum opera venerabundus frequentabat, quae licet temporum rerumque iniuria valde essent deformata, antiquum tamen splendorem aliquantis per retinebant.

Si quis forte quaereret, cur romani municipes, cur et curatores liberalibus artibus provehendis, cur denique viri qui ad rerum gubernacula sedent iam inde a multo tempore nihil prorsus nec digitum quidem moverent, ut tot res tantasque, nobis quas exteri maximo opere invident, negligerent parvique facerent, nescirem quod verbum solatorium patrumque expromerem. Quid dicam? Eo insaniae ventum est, ut ager ille omnis publice colendo locaretur, ubi olera creverunt, allia, caepae, porra et teneris fronduit lactucula fibris.

Ipsae arborum radices altissime descendentes pulcherrimas Neronianas aedium fornices, mira arte picturisque exornatos miserrime invaserunt ac nequiter deturparunt.

Sed, Deo adiuvante, quum proprius ad tempora nostra accessimus, omni quoque anno et melioribus usque fatis, sapientius ager effodi iterum coepitus est, unde nova in dies monumenta felicius inventa clara luce refulerunt.

Tandem anno ineuntis saeculi superioris decimo F. De Romanis, vir clarissimus idemque architectus, mira equidem omnium admiratione, divinitus effodit quinquaginta et amplius cellas, ubi multae adparuerunt picturae eximio artificio confectae. Hic egregie opus suum scriptis decoravit atque in vulgus ad omnium commodum edidit, in volumine, cui est titulus: *Le antiche camere Esquiline*; anno MDCCXXII.

Attamen neque tot insignia tantaque monumenta socordiam e nostris civibus eripuerunt. Sed absit ab narratione omnis animi indignatio. Saeculo tandem nostro ineunte, et civium cura ipsorumque advenarum sollicitudine factum est, ut etiam atque etiam opera effosorum progrederentur. Quot tabulae pictae, quot exornationes in lucem tandem redierunt!

Restat adhuc ut multae admodum cellae manu hominum ac sapientia aperiantur. Ab hinc paucos dies admirabili modo adparuit pictura, quae in fornice, multis distincta coronis, Hectorem refert, qui Andromacham uxorem ultimum moestissime salutaturus amplectitur. Ea omnia sunt tanta artis perfectione atque pulchritudine descripta, ut opificum securitatem admireris in suis operibus conficiendis, nimis ab oculis longe spectandis, atque adeo cum multo sua gloriae incommodo. Hic quoque cernis Paridem, qui fuit, fatalis incestusque iudex, tot malorum in patriam auctor, cum Helena; aliasque picturas, quarum vel inde mentio facta fuerat quum primum Laocoön adparuit.

Multa iam fecit aetas nostra, complura mox equidem faciet, sed maiora admodum sunt facienda, ne hoc maximum insigne antiquitatis monumentum iam adeo temporum iniuria deformatum, omnino probrosa hominum incuria atque socordia depereat. Ceteris enim alienisque operibus ablegatis, remoto superiore aggere, haec omnis planities libera sit terris, quibus prope obruitur atque praefocatur, rivulis abstergatur, quo sic aquis exsiccata, melius ac facilis, ut ita dicam, aërem captet uberrimeque respiret.

Quod quidem brevi tempore futurum esse speramus, quum res commendata sit ingenio atque curis Conradi illius Ricci, clarissimi viri, ex cuius praef-

scripto atque tutela publice omnia pendunt. Quae quum ita sint, nos in utrumque oculum hac in re quiescere possumus, et si ipse in praesentiarum multa iam prospere gessit, mox maiora facturum esse haud dubitamus.

Quae iam eventus felici exitu comprobavit.

SENIOR.

Pacis monumentum in Andinis montibus

Hac turbulentissima tempestate, qua Europa fere omnis bello exitiali abripiatur, unde etiam fit ut populi ipsi Columbiani, intercluso cum portibus Europaeis commeatu, inopia quoque laborare cogantur, omnia mihi digna memoratu videntur, quae ad pacem mortalium animos erigant, illa nimirum anxietate, qua Hebraei olim in deserto a viperis mortiferis morsi, crucem aeneam salutem subito eis afferentem aspiciebant.

Haec volvens, in primis illud menti occurrit monumentum ingens, quod in altissimis et abruptis Andinis montibus Columbianaë Americae quatuor millibus metris et octingentis supra maris planitiem sedet in ipso limine quod Argentinam Rempublicam a Cilensi dividit.

Qua vero de causa monumentum huiusmodi exactum fuerit, paucis hinc expediem.

Saeculo vigesimo ineunte, bellum exiiale quas antea memoravi respuplicas funditus eversurum minabatur. Tunc omnes festinare, parare, duces milites in armis exercere, alius alium ad pugnandum hortari, altera alteram contumeliis insequi.

Neminem aliquantis per doctum praeterit quae ruina ex eo bello, si forte

gestum fuisset, nobis esset futura; et sane, quo populus iunior, eo viribus infirmior; quapropter si usque magnis et vetustissimis imperiis bella nocumento nunquam non fuere, hoc solidiori ratione dicendum de americanis populis, qui libertatis acquirendae et civilium dissensionum causa usque adhuc crux manantes nondum, ut ita dicam, e iuventute egressi, ad vires augendas et incrementum longe lateque explicandum nulla remagis quam ordine et pace indigent.

Erat tamen in ditione Omnipotentis rerum, cui summa potestas inest, ut nationes, quas eadem origo, eadem religio eademque rerum vicissitudo coegerant, cruento proelio nec disiungerentur nec dilaniarentur; quapropter mirabili et providentiali ratione, praeter omnium exspectationem, ad pacem cogitationibus omnium conversis non modo a consilio bellandi destiterunt, sed solemni decreto communique exultatione de pace actum est, et ex amicis amicissimi devenerunt.

Ilo ergo pacis chirographo sigillum aere perennius imprimere, episcopis utriusque reipublicae felici, imo dicam superno afflatu, visum est. Iis videlicet consilium fuit statuam aeneam Christo Redemptori, Regi saeculorum immortali, in Andinis montibus erigere, ita ut brachiis ad utrumque latus protentis, veluti pater qui liberos temperat regitque, Argentini et Cilenses foedus promissum recordarentur, dum simulacrum in firmissimis montibus inconcussum maneret.

Brevi opus ad fastigium pervenit, et anno huius saeculi quarto coram archiepiscopo et praesidi et clarissimis viris utriusque reipublicae, monumentum solemnissimo et fere sublimi apparatu dedicatum est.

Monumentum ipsum via Uspallata situm, qua transeat necesse est omnes

qui asperrimos Andes montes traicere coguntur. Opus humani ingenii praelarum sive quoad sculpturam sive quoad locum ubi positum est spectetur: statua ex aere octo metra alta et dimidium crucem ex eodem metallo laeva manu gestat; basis vero ex durissimo lapide, in altitudinem metrorum sex et ultra, hanc transeunti legendam inscriptionem offert: «Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum».

Respublicæ sorores pactum usque nunc servaverunt et, credo, servabunt: nam si quando, inmemores icti foederis altera alteri armis occurrerit; ubi milites magno impetu ex montibus irruentes ad monumentum pacis perveniant, fore, reor, ut ab hoc, loquente in nomine illius Dei potentissimi cuius imperio sedantur procellae, montes fumigant, caeli contremiscunt, iter ipsis intercludi videant, nisi, quod Deus avertat, propter cordis duritiem Regis regum imperio velificari renuant.

Hi ergo Americae meridionalis populi optimam partem elegerunt quod Dei arbitri pacem aut bellum iudicio permiserunt. Fortunati ambo! Clament iure cum Principe Latii lyricorum:

*Exegi monumentum aere perennius
Regalique situm Pyramidum altius
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum!*

Utinam principes veteris Europæ priusquam bello mortifero sese dilaniarent, libidine imperii et ambitione depositis, Iesum Christum arbitrum discordiarum elegissent! Utinam suavissimo sermoni Vicarii Iesu Christi de pace iis loquentis annuisserint! Utinam Europa tot sanguinis rivulis effusis, agnoscat tandem humano generi sublata religione impossibile esse pace et tranquillitate frui! Discat Evangelii iugo mitissimo

subiici; discat in religione pacem ac prosperitatem esse, verum populorum incrementum!

Scrib. in pago Bernalensi Argentinae Republicae, die IV Non. Decembr. MCMXIV.

P. ARDIZZONE.

ANNALES

Hiems crudissima, atraeque procellae ubique furentes **Europaeum bellum** ad obsidiones exstructorumque aggerum oppugnationes circumscripta. Nullus itaque peculiari mentione dignus eventus per superiorem Ianuarium mensem intercessit, si excipias **Gallorum** receputum, post proelium cum Germanis ad Augustam Suessionum pugnatum, a septentrionali litore Axonae fluminis ad australes oras, quum impossibile sibi viderent amissa loca, nunc saltem, recuperare. Austriaci quoque ad Zaklyscin nonnullos successus reportarunt in Russicos hostes, qui conati frusta etiam sunt ut Przemysl munitissimam arcem quam obsident iterum expugnarent, utque e Carpatibus montibus in Hungariam, et per Bukovinam in Transilvaniam irrumperent. Quies autem prorsus in Serbia, cuius auspicia dubia sunt; utrum scilicet Serbi se impares sentiant offensioni persequendae, an Austriaci tacite studeant sua damna reparare. Turcae denique, dum ad Aegyptium fretum properare in dies traduntur, in Caucasica regione exercitum a Russis profligatum habuere.

In mari, Germani, ab Anglica classi expediti, loricatam cursoriam navem **Bluecher** demersam, cursoriasque pariter naves **Seydlitz** ac **Derfflinger** pessumdatas sibi viderunt. Interim ipsi bellum in

aërem traducunt perque dirigibles aëronaves suas Dunikerkam Gallicam urbem litusque Britannicum ad Yarmouth et Sandringham igniferis pilis vexant. Galli vicissim in Germanorum castra par pari referunt.

Denique voces pacis proxime compendiae, quam Benedictus PP. XV, Sacrum Senatum alloquens in Consistorio congregatum, iterum iterumque invocavit, mendacii utrinque insimulatae sunt.

**

In Albania rerum status incertus perdurat, sed tamen tolerabilis, quum rebelles suprema tentasse videantur, quando omnes putabant ad facinorum suorum initium accessisse. Ne vero credamus a novis rebus omnino nos deprehendi haud posse.

**

Neque **in Lusitania** res prosperae fortunae prorsus commissae apparent. Proximis hisce diebus militum rebellio nunciata est, quam ad sedendam oportuit ut administratorum collegium, cui Continho praererat, a munere se abdicaret; eique novum suffectum est, praeside Castro.

**

In Mexicana republica nondum praefectus invenitur qui ordinem aliquem aut disciplinam inducat. Quam, aedepol! longe **in Sinis**, ubi Yuansi-Kai ita dociles subditos invenit, ut eum civilium rerum moderatorem ad vitam elegerint cum facultate successorem designandi. Napoleon imperator Napoleoni consuli iterum successit!

**

Seriem hanc eventuum absolvere nequimus, quin **Italorum luctum** defleamus, quorum Marsica regio floridissima die XIII mensis Ianuarii horribili terrae

motu momento temporis solo prorsus aequata est cum immensa hominum strage, qui in ipsa fuga, ob aëris, ut videtur, intolerabilem rarefactionem, mortem invenere. Defunctorum animarum misereatur ipse Omnipotens qui eas ita a corpore divisit, superstitione tristi fortunae civium pietas succurrere perget, eo summae pietatis studio, cuius amplissimum testimonium hueusque praebuit.

POPLOCOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Vicem resumo, locumque iterum occupo, quem clarissimis magistris **SUBALPINO** et **BONAVENIA** reliqueram, quorum alter opiparum prandium descripsit, alteri de globulis illis « famosis » disserire placuit, quos Romani *gnocchi* vulgo nunc appellamus. Coquinaria igitur hodiernam hanc horam aliquantis per tenebunt, gratiam ab incognito eo saltem Badaiocensi socio me reportaturum confisus, qui XVIII kal. Februari. eam mihi spondebat, si « aliquot ferculorum vinorumque indices » in vulgus ederem. Quaenam vero fercula? Quae vina? Sit **de carne** ac **de vinorum qualitate**; si ipse aut socius quilibet alia cupiat, quaerat; pro certo habens me pro viribus ei in posterum satisfacturum.

Caveat tamen anonymous meus (et omnes simul qui cum eo legent) ne carnem « morticinam » sumant, scilicet animalium, quae morbo aliquo, non quidem securi aut malleo, aut denique, prouti etiam in more est, electride percussorum periere. Carnes ad manducandum plus minusve bonas eligat bulbulas, vitulinas, pullinas sive gallinaceas,

haedinas, veruecinas, leporinas, ovinas, suillas sive porcinas, hisque proxime accedentes aprugnas; quas omnes comparare sibi quisque poterit sive elixas, sive iurulentas, aut salitas, muriatas, conditaneas, assas denique aut frixas. Fumo etiam carnes durantur ad conservationem, quae in capsulis ex stamnoferro omnino clausis facile emuntur. Constat denique tergum seu massam porcinæ carnis salitam, in usumque cotidianum servatam « succidia » uno nomine vocari.

Et ad vina procedamus. Vina plerumque loci unde manant nomen usurpant: habes sic Tuscanum, Etruscum, Siculum (Lilybaeum inter haec apud omnes gentes notissimum) etc. in Italia; Catalaunense, exempli gratia, in Gallia; Rhenanum, Malacense, Graecum... quae omnia sincera sint oportet, neven litteram amittant *siceraque* fiant; quo vocabulo vinum fictitium distinguitur. Vinorum alia *fugientia* sunt, quae scilicet facile corrumpuntur, alia *aetatem ferentia*; quod ad facilius obtinendum sacco percolantur, ut defacentur: inde *defaecati vini* nomen. Vinum densissimum *pendula* appellatur; quod dulce sit neque deferbuerit, *aigleuces*; aqua mixtum *dilutum*, *lymphatum*, *aquatum*; tenuissimum ex maceratis aqua vinaeis, *deuteria*; vinum secundarium, *lora*; quod autem prae omnibus legitur aut vindemiatur, sive in usum familiae sive operarum, ex uvis ante iustum maturitatem collectis *praeliganeum* vinum et *precium* quoque dicitur. Neque hic series absolvitur; sed, ne dati spatii limina hodie excedam, alias continuabo.

**

Non tamen finem dicendi faciam, priusquam orationem reducens unde est profecta, modum *praebeam* globulos

illos, optime comparandi quos in medium Bonavenia noster attulit, et ego **globulos farinaceos**, cum bona eius *venia* nuncupabo, ne quis... globulos alios ex vitro, metallo aut quavis alia non digestibili quidem materia aliquando glutire inducatur.

Elexa igitur tuberosa solana nonnulla, cortice munes, per cibrum geras. Condepse inde cum pari similaginis copia, obtentamque sic massam in partes divide, quae limonis similes magnitudine sint. Earum quamque per fistulam palma circumvolve donec quasi baculus fiat, quem in globulos incides. Hosce farina parum aspersos ne fistulae appingantur, singulos tolle, cava, leniter eos pollice premens super inversa tyrocnestis alicuius parte. Postquam globulos sic confectos in manteli diffusos ad siccandum aliquandiu reliqueris, salitae aquae iam satis fervidae trades, expectabisque dum globuli innent; tum terebrato ratabulo aridos extrahes, butyro atque caseo condies, succoque ex Americano tryeno addito, degusta.

* *

Iocosa.

Ad militum stationem.
— Decurio, ius hoc nihil sapit.
— Facile concedo; oblitus enim sum carnem in pultario ponere. Vis ne aliquantulum salis tibi praebeam ad sapius ipsum faciendum?

* *

Astrorum optime periti.

— Utiliorem ne credis solem an lumen?
— Lunam, aedopol!
— Ecur?
— Quia nox illunis obscura omnino est; in die, contra, etiam sine sole optime videmus.

* *

Aenigmata.**I.**

Diversa genitus patria dat regia tectum,
Intentis oculis gens ubi docta sedet.
Docta virum turba ut noscat videatque
[morantes,
In faciem cernit tergora versa suam.
Sermones gens illa struit; non murmura
[sentis,
Namque in sede sua turba perita silet.
Confectis senio est interdum facta potestas
Promere de lingua quod decus esse putant.
Ex visis aliquis distinctos corporis artus
In plures partes, quae videantur, habet;
Ex illis quos turba videt se iactitat alter
Vitali luci non semel esse datum.
Qui tegit aurata, qui veste rudi induit artus,
Qui strictum nulla compede corpus habet,
Qui dicit vitam strictis in corpore membris,
Qui mala producit, qui bona multa parit.

II.(vulgo *Rebus*)**PER AS AASTRA**

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Sub s ter no = Substerno*; 2] *As-pectus*).

IOSFOR.

Spatio deficiente, ad proximum numerum:

FRIDIANUS

sive

DE INCONDITO ADULESCENTE.

ROMA SACRA**Acta Benedicti XV P. M.**

Benedicti PP. XV sollicitudo de Europaei belli eventibus ac pro pace. (Ex allocutione habita in Consistorio die XXII mensis Ianuarii MCMXV).

..... Temperare Nobis non possumus (Venerabiles Fratres), quin de illa aegritudine animi, qua Nos opprimi intelligitis, aliquid aliud in animos vestros effundamus. Scilicet menses continuantur mensibus, necdum spes ulla ostenditur fore, ut calamitissima haec dimicatio, vel potius trucidatio brevi conquiescat. Cuius tanti mali si non, ut vellemus, properare finem possumus, utnam Nobis liceat dolores, qui ex eo consequuntur, mitigare. Evidem ad eam rem hucusque, quantum erat in Nobis, laboravimus; item, quoad res postulaverit, labolare non desistemus.

Hoc amplius conari in praesens officii Nostri conscientia prohibemur. Romani quidem Pontificis, ut qui constitutus a Deo sit summus legis aeternae interpres et vindex, maxime est edicere nemini unquam ulla ex causa fas esse violare iustitiam; id quod Nos apertissime edicimus, quaslibet iuris violationes, ubicumque demum factae sint, magnopere reprobantes. At vero ipsis bellicantum contentionibus pontificiam miscere auctoritatem hoc sane neque conveniens foret, nec utile. Profecto quisquis est prudens rerum a estimator, videt Apostolicam Sedem in hoc certamine, quamvis sine maxima cura esse non possit, tamen nullius partis esse debere: cum Pontifex romanus, ut vicem quidem gerens Iesu Christi, qui pro universis et singulis hominibus mortuus est, omnes quotquot dimicant, debeat sua caritate complecti; ut Parens autem catholici nominis, utrobique filios habeat frequentissimos, de quorum omnium salute aequa debet esse sollicitus. Non igitur in eis respiciat oportet rationes ipsorum proprias, quibus inter se dividuntur, sed commune vinculum Fidei, quo copulantur. Si secus faciat, non modo causam pacis nihil adiuvet,

sed etiam, quae sita in Religionem invidiâ, ipsam domesticam Ecclesiae tranquillitatem et concordiam magnis perturbationis obiiciat.

Verum, neutrī addicti partibus, utrasque tamen, ut diximus, habemus Nobis curae; atque horrificos huius belli motus *summa* sollicitudine atque anxietate prosequimur, praesertim cum timendum sit, ne forte vis inferendae impetus omnem quandoque modum excedat. Utique naturâ fit, ut ubicumque filiorum in communem Ecclesiae Parentem pietas fuerit exploratior, illic studiosior quodammodo eius mens animusque versetur: cuius rei, quod, exempli causa, ad dilectam Belgarum gentem attinet, argumento sunt eae quoque litterae, quas haud ita pridem ad Cardinalem Archiepiscopum Mechlinensem dedimus. (1)

Liceat hoc loco eorum, qui in alienos fines pugnando transierint, obtestari humanitatem, ne iis regionibus plus vastationis inferratur, quam ad easdem occupandas necesse sit; neve, quod maius est, incolarum animi in iis quae habent carissima, ut aedes sacras, ut sacrorum administros, ut iura religionis et Fidei, gratuito vulnerentur. Iis vero, quorum terras hostis occupavit, facile existimamus, quam durum sit externis esse subjectos. Sed caveant velimus, ne, piae libertatis recuperandae studio, gubernationem praesertim ordinis publici impediendo, suam conditionem faciant multo deteriorem.

Ceterum, Venerabiles Fratres, tantarum premente mole misericiarum, non succumbendum est animo: sed, quo rerum obscurior videtur exitus, eo vel maiore *ad eam cum fiducia ad thronum gratiae ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno* (HEBR., 4, 16). Insistendum nimur, uti iam diximus, humiliibus ad Deum precibus, qui sicut humanarum rerum est dominator et arbiter, sic voluntates hominum deducere, unde velit, et quo velit, impellere unus invicta virtute potest. Neque

(1) Vid. in *Alma Roma*, an. II, fasc. I, pag. 17.

enim sine nutu permissuque divino pax di-
cenda est tamquam evolasse ex orbe terra-
rum; scilicet, ut gentes humanae, quae suas
omnes curas defixissent in terras, oblivio-
nem neglectumque Dei mutuis caedibus inter-
se vindicarent. — Accedunt identidem alia
rerum eventa, quae homines cogant « humili-
lari sub potenti manu Dei ». (I. PETR., 5, 6);
cuius generis id quod proximis diebus eve-
nit, scimus omnes quam horrendum fuerit
et quam luctuosum (1).

Iam vero, quoniam deprecatio communis
acceptior Deo est ac fructuosior, bonos,
quotquot sunt, exhortamur, ne desinant
quidem apud se quisque divinam implorare
clementiam, sed potissime id faciant, pu-
blicas in sacris aedibus preces frequentando.
Nos autem, propterea ut uno eodemque
tempore quam maximus concentus com-
precantium exsistat, duas, ut nostis, sol-
lemnes supplicationes indiximus, unam Eu-
ropae catholicae in diem septimum mensis
proximi, alteram catholico orbi reliquo in
diem vicesimum primum mensis martii. Pri-
mae supplicationi Nosmet ipsi ad Sancti
Petri in Vaticano interesse constituimus;
nec dubitamus quin vos ibidem, Venera-
biles Fratres, Nobiscum adfuturi sitis.

Faveat communibus Ecclesiae votis, ad-
iutrix christianorum Sanctissima Deipara,
et sui patrocinii suffragio impetrat a Filio,
ut, mentibus ad veritatis lumen, animis
ad iustitiae cultum revocatis, pax Christi
revisat orbem terrarum, atque constanter
posthac cum hominibus permaneat.

S. Congregatio Rituum.

*De festis localibus quae a Religiosis recoli-
debeant.*

I. Ordines Regulares proprium omnino
habere debent kalendarium, quod pariter
adhibendum est a Monialibus et Sororibus
eorumdem Ordinum.

II. Congregationes seu Instituta utrius-
que sexus a S. Sede approbata et sub regi-
mine unius praesidis generalis constituta, si

(1) Scilicet. terrae illum motum in Italiae
Marsica regione, per quem triginta circiter
hominum millia misere perierunt.

ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant kalendarium.

III. Congregationes et Instituta, quae sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint adprobata, non tamen comprehendantur paragrapho praecedenti, uti debent kalendario dioecesano prout iacet, additis, iuxta Rubricas, Officiis, quae ipsis peculiariter concessa sunt.

IV. Ordines, Congregationes et Instituta proprio kalendario gaudentes, amodo celeb-
rare tantummodo debent officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis,
nec non Festa solemniora Patronorum principalium, ita ut non amplius teneantur ad
Officia alicui regno, provinciae aut dioecese i
concessa; neque ad Officia localia, quae ad-
nexam habuerunt feriationem, nunc autem
habent suppressam.

V. Quoad festa localia, quae a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent
Officio et Missa Clero saeculari concessis, nisi
eadem festa ab ipsis Regularibus iam habean-
tur cum Officio et Missa magis propriis.

VI. Si graves exstant rationes ad aliqua
festa localia, praeter recensita, pro aliqua
Religiosa familia conservanda, Sacrae Ri-
tuum Congregationis iudicio subiiciantur, ut
praedicta festa, quatenus opus sit, in kalen-
dario inseri possit.

(Ex deer. diei XXVIII mensis Februarii
MCMXIV).

*De orationibus Servos Dei cum sanctitatis
fama defunctos respicientibus.*

Orationes quae Domino Deo diriguntur ad
gratias impetrandas ob intercessionem Ser-
vorum Dei qui cum sanctitatis fama dece-
serunt, indigent venia episcopi ut imprimi
atque inter fideles diffundi valeant, ad normam
Constitutionis *Officiorum et munerum*.
Attamen ad tramitem et mentem decretorum
S. U. Inquisitionis et Sacrorum Rituum Con-
gregationis episcopus abstinere se debet ab
iisdem orationibus commendandis, ac prae-
sertim indulgentiis ditandis. (Ex deer. diei
XXI mensis Martii MCMXIV).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12
(doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite
mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

TERRAE MOTU

APRUTIANAM REGIONEM FUNDITUS EVERENTE

DIE XIII MENS. JANUARII MCMXV



*An dignis luctu lacrymis an Musa tonantis
Vim terrae motus damnaque flere queat,
Qui Italiae tractum frugum pecorisque feracem
Continuo immanem volvit in interitum?
Mens perculta horret vastam meditata ruinam,
Reddere sed graphice carminis arte nequit.
Hussitus det anhela mihi suspiria vates (1),
Et lyra docta queri Vergiliana modos!
Aprutii e scopulis nondum discusserat umbras,
Neve operum monitor Lucifer ortus erat;
Cum subito reboant tonitrus et utrinque locorum
Motibus horrisonis contremitt omne solum.
Proh dolor! an mundo lux ingruit ultima? stirpem
Audacem Japeti fata suprema manent?
Sub pedibus mugire vias, rimisque secari,
Aequoris ut nutet mobilis instar, humum.
Ipsa rotant iuga tot superimpudentia pagis,
Laevior in gyros ut pila raptis citos.
Oppida subvertens tellus excussa dehiscit,
Maceriae in barathrum praecipitesque ruunt.*

(1) IOB.